



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput XXX. De intima, vivida, & actuosa Dei gognitione, quæ ex prædictis
illius perfectionibus rite consideratis in animo provenit. Quàm facilè
quilibet hoc pacto illam consequi valeat: quæve sint ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

CAPUT XXX.

De intima, vivida, & actuo-
sa DEI cognitione, quæ ex prædi-
ctis illius perfectionibus rite confide-
ratis in animo provenit. Quàm facilè quili-
bet hoc pacto illam consequi valeat; quæ-
ve sint artes ad eam, postquam compa-
rata fuerit, conservandam, & augen-
dam idoneæ.



N ergo materiam, in qua occu-
pare mentem debeat, cui cor-
di est DEI notitiam sibi compa-
rare, aliquantò intimiorem,
pleniorémque illâ, quæ ex ipso
in externis suis operibus, atque imaginibus
considerato percipi solet. Debet, inquam,
cum Moyse (Exod. 20. & 24.) in obscurissi-
mam, & luminosissimam simul divinæ essen-
tiæ caliginem ingredi: & Regii Vatis exemplo
penetrare (Ps. 70.) in potentias Domini, in
admirabiles nempe illius prærogativas, à no-
bis hoc in libro explicatas: relegendo, ac ru-
minando identidem cum ea, qua par est atten-
tione, objecta adeò sublimia, & conando ea

P p p s

sem-

semper, quantum fieri potest, plenius, & plenius intelligere: donec crebra eorum meditatione penitus sibi in animo imprimat generalem quamdam DEI speciem, tanquam entis supra omnem modum eximii, admirandi, & amabilis. Sic enim fiet, ut, quodcumque ejusdem seu recordabitur, seu mentionem fieri audiet, quamvis meditata olim ipsius decora neququam tunc distinctè, & secundum propriam singulorum imaginem animo reputet; ex vi nihilominus universalis speciei, de eo pridem conceptæ, altèque intrà mentem defixæ, eum continuò sibi repræsentet, tanquam objectum incomparabile, præcellentissimum, longissimèque super omnia æstimari, & amari dignum. Quemadmodum audiendo, legendoque pluries militaria Alexandri Macedonis, vel Julii Cæsaris gesta, eximiam eorum speciem in mente formamus, quasi Ducum extraordinariâ, & singulari supra cæteros laude eminentium. Quæ species, vel sinè distincta, unde paulatim inolevit, illustrium facinorum ab iis editorum memoria, fixa hæere in nostris mentibus pergit: adeò ut nunquam deinceps ii nostræ menti obversentur, nisi quales antea concepimus, tanquam nimirum duo belli fulmina, & nullo non tempore celebranda sui ævi ornamenta.

2. Ne-

2. Neque ulla occurrit probabilis causa, cur quisquam hoc considerationis genus refugiatur, perinde quasi impar sit objectis adeò humano quovis captu majoribus, etiam tenui notitia assequendis. Nam ut indè hauriatur summa illa DEI æstimatio, quæ veluti potissimus, ac princeps fructus, ex DEI consideratione quæritur, nihil necesse est, altissimas illius perfectiones perspicuè intelligere, ità ut singularum reddi ratio, & explicari modus queat. Sed sufficit, impermeabilem earum immensitatem indistinctè, ac generatim concipere: fatendo interim, quidquid de iis cognitum fuerit, aut possit cognosci, instar nihili esse, ad infinitum *plus ultra*, quod cognoscendum etiamnum ibi superest, ac semper supererit. Imò hæc ipsa mentis confusio, & quasi vertigo, coram objectis adeò peregrinis, omnemque nostrum captum excedentibus, quemadmodum religioso quodam stupore, atque horrore considerantis animum replet; sic omni Theologica speculatione plus valet, ad rite æstimandam incomprehensibilem divinæ essentiæ amplitudinem, in qua velut in immensissimo quodam oceano tot infinitarum perfectionum quasi oceani adunentur. Ubi desinit clara cognitio, ibi protinus ad-

admiratio succedit: quæ non objectum, sed
 suam objecti percipiendi impotentiam cogno-
 scens, hæret attonita, nec aliud de eo prolo-
 qui scit, nisi, *Manhu, quid est hoc?* (Exod. c.
 16.) Hebræorum more, qui prodigiosam è
 cælo sibi depluentem alimoniam tantò mira-
 bantur magis, quantò minùs notam habebant:
Ignorabant enim, quid esset. Quòd divinæ per-
 fectiones objectum sint humano captu supe-
 rius, considerare illas metuis? At ego hac
 ipsa de causa ad earum considerationem te
 hortor, quò nimirum tantò meliùs, quantò
 magis ipso usu tuo edoctus hanc earum ex-
 uperantiam agnoscas. Hic summus est gra-
 dus, quò in præsentì materia licet pertingere.
 Hæc scientia potissima, quam de objectis tam
 sublimibus obtinere nostra imbecillitas possit.
 Ratio ea speculandi est, non ut eorum appre-
 hendamus finem, sed ut deprehendamus infini-
 tatem. Ille plus de iis didicit, qui plus sibi
 superesse discendum novit. Verè, sapien-
 tisque Augustinus, (Epist. 149.) *Multa sunt,*
quæ de Trinitatis ineffabilitate dicuntur: non ut
ipsa dicatur, alioquin non est ineffabilis, sed ut
illis dictis, illa dici non posse, intelligatur. Quam
 eandem sententiam alibi quoque inculcat his
 verbis: (In Ps. 60.) *Quidquid dicitis, minùs di-*
ci:

cis: sed ideo necesse est, aliquid dicas, ut sit, unde cogites, quod non potest dici. Certè, si non unam duntaxat diei horam, sed solidos dies in divinis perfectionibus meditandis infumeres: ità ut primò conareris intentæ mentis acie aliquid de ipsis assequi, mox animadverso te nihil proficere, submissè DEO fatereris, longè illum superiorem omni speculatione tua esse: pergens ità decies, vicies, quinquagies, aut pluries eosdem retentare addiscendi conatus, easdèmq; his attexere nullius tui profectûs confessiones; quonam tandem posses utiliori modo commentationis tuæ tempus transigere? Quando, hac methodo utens, per tuammet experientiam manifestius cognosceres, & repetita pluries confessione altiùs tuo animo insculperes certissimum illud verum, & quod celeberrimus quivis Theologiæ Scholasticæ Doctor, post universam suam ætatem in hujusmodi studiis contritam, quivis itè con- summatissimus Mysticæ Theologiæ Professor confiteri debet, tu itidem confitearis: nempe quantus, & qualis DEUS sit, nullo à nobis conatu intelligi posse. *Tunc eum dignè estimamus, cum inestimabilem dicimus. (Minut. in Oct.)*

3. Præterea, memineris velim, considerationem non esse à me initio propositam, velut unicum divinæ scientiæ assequendæ instrum-
 men-

mentum : sed tanquam instrumentum, cui ad finem prædictum adjungenda non minùs necessariò esset divini luminis , atque auxilii imploratio. Quocirca nequaquam spectari à te oportet , quidnam sola per sese consideratio tua valeat , sed quid etiam altero hoc præsidio suffulta. Nam quid prodesset DEI opem exposcere , si neque cum ipsa illud possemus , quod finè ipsa non possumus ? Certè oratio nequaquam supervacuum quid , & omnino inutile est : àdque DEUM pertinet , ubi rite invocetur , aliquid pro parte sua agere. Cur igitur diffidamus , nostram potiùs infirmitatem , quàm illius respicientes virtutem ? perinde quasi nostro solùm marte , & finè ullo ipsius magisterio vacaturi essemus tam sublimi scientiæ : aut quasi novum aliquid , insuetùmque ipsi foret , *præstare scientiam parvulis* , (Ps. 18.) & *suscitare de lapidibus filios Abrahæ* : (Mat. 3.) sculpendo nimirum in faxæ mentis hominibus Divinitatis suæ notiones , per quas in Abrahæ filios mutantur. Mortalium magistrorum est , scientiam in auditoribus suis tantùm parere , DEI verò etiam creare. Ab illis sola veri semina intrà intellectum ; ab hoc novum quoque , & meliorem intellectum accipimus : secundùm illud ex Jobi libro effatum , (c. 32.) *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

am. Quantumcunque abstrusa, & captu difficilis sit doctrina; tardum, atque hebes ingenium; omnes hæc difficultates abunde compensat tanti præceptoris institutio: & teste D. Leone, (*Serm. 1. de Pent.*) *Ubi DEUS magister est, citò discitur, quod docetur.* Revoca in memoriam quatuor illa animalia, divinitus Ezechieli exhibita. Vidit ea primò sanctus Vates, sub specie hominis, leonis, bovis, & aquilæ. Consideravit ea rursus, & cætera iisdem, quibus antea nominibus appellans; illud duntaxat, quod primò appellaverat bovem; non jam pristino, sed Cherubim nomine designavit. Mira fanè nominis commutatio. Quo enim pacto Cherubini nomine, *scientiæ plenitudinem* significans animali conveniat, ex terrestri coagmentato materia? cur non leoni potius, vel aquilæ, vel homini, sed bovi, animali videlicet, curvo humum versùs, ad jugum ferendum nato, èque tota illa quadriga maximè abjecto, hebeti, ac stupido? Mira res, fateor, sed mysterio plena, & unde addiscas, quamvis natura ingenium tibi tribuisset nihilo, quàm bovi, minùs tardum, iners, ac stupidum; facillimum tamen DEO esse, te in Cherubim transformare, spiritum scilicet, qui totus perspicacitas, totus cognitio, totus mens sit, *Facies bovis, facies Cherubim.* (*c. 1. & 10.*)

4. De-

4. Denique percipiendum probè est, ac penitus menti infigendum, quod pluries dixi, sed veluti ad præsentis rei intelligentiam apprime necessarium, in memoriam tibi revocabo, & repetens, iterùmque, iterùmque monebo: nimirum non hìc quæri, ut veritates circa Dei naturam merè contemplativas, & theoreticas speculando percipias, quod dogmaticæ Theologiæ studiosi propositum sibi habent, & consequi certant: sed ut unicam circa summum illud ens veritatem practicam intimè penetres, & quanta maxima fieri potest perspicuitate, intelligas: infinitam nempe illius super creata quævis bona excellentiam, & ejusdem inde consequens meritum, infinite illis omnibus in nostra æstimatione, & amore antestandi. Ità planè: hæc unica simplex, atque indistincta, & generalis notitia illa est, quam hìc quærimus, quæque quantò altius menti impressa, vividiusque præsens fuerit, tantò fructuosiore eidem scientiam DEI pariet. Jam verò ad hujusmodi notitiam vividè, intimèque concipiendam licèt conducere haud minimum possit ingenii sublimitas, studii contentio, & doctrina in scholis comparata; certissimum tamen est, multò magis conferre, imò solum etiam sufficere lumen divinum, orando, & purè vivendo impetratum: teste

D.

D. Bernardo, (L. 5. de Conf.) *Quod sermo non
 explicat, consideratio quærat, oratio expetat. me-
 ritatur vita, puritas assequatur.* Quamobrem
 videmus sæpenumero homines, cæteroqui il-
 literato, & rudes, sed animi demissione, &
 puritate ad DEI lucem excipiendam probè
 comparatos, in scientiæ hujus studio primari-
 illustrium Academicarum magistris antea:
 Regii Vatis exemplo, qui ex divinæ Legis stu-
 dio eam se hausisse profitetur scientiam, quam
 admirari etiam Doctores sui possent (Ps.
 118.) *Super omnes docentes me intellexi, quia
 testimonia tua meditatio mea est. Super senes in-
 tellexi, quia mandata tua quæsi.* Non sanè,
 DEUS eos, qui hujusmodi sunt, extra-
 ordinaria, & prodigiola virtute ad interio-
 rum arcanorum suorum perspicentiam sem-
 per attollat; (námque id privilegium neque
 omnibus conceditur, neque ulli ne-
 cessarium) sed quia peculiari eos lumine in-
 ducit, ad videndam cæteris clariùs eam veri-
 tatem, in qua præcipuè fructuosam, & soli-
 dam diximus DEI scientiam consistere: infi-
 nitum illud scilicet bonitatis, perfectionisque
 intervallum, quo ipse creatas res omnes trans-
 greditur: adeò ut ipsum, tametsi sub hac u-
 niindistincta, & generali specie conceptum,

altiori in pretio habeant, longiùsque bonis omnibus cæteris præferant; quàm excellentissimus quivis Theologus per solam naturalem doctrinam suam faciat: licèt hic distinctiùs cognoscat, & explicare enucleatiùs possit peculiare illas DEI perfectiones, quarum causâ infinitè adeò creata ille omnia antecellit, præque iisdem æstimari, atque amari mereatur. Quare hoc etiam sensu explicari potest ille Canticorum versiculus, (c. 1.) *Meliora sunt ubera tua vinò*: accipiendo videlicet pro divinorum uberum lacte, actuosam illam incomparabilis suæ excellentiæ cognitionem, quam DEUS piis idiotarum mentibus solet infundere: cognitionem, si suavitas, & nutriendi vis attendatur, longè illi præferendam scientiæ, quam curiosa, & superba ingenia quasi fumidum, atque inebrians vinum, laboriosarum speculationum torculari expriment.

5. Neque mirum ulli debet videri, infinitam DEI super creata omnia excellentiam meliùs cognosci, & pluris æstimari ab aliquo posse, qui minùs clarè compertas illius rationes habeat; quàm ab alio, qui has luculentius, & majori cum distinctione pernoſcit. Nam primò, qui objectum aliquod sibi confide-

ran-

randum sumit, non ut purè illius notitiam assequatur, sed ut per hanc ad illud pro merito æstimandum se excitet; quemadmodum omnes suæ considerationis conatus huc dirigit, sic, licèt aliquando propter ingenii tenuitatem minùs plenè, exactèque illud cognoscat, potest, solètque nihilominus altiore illius æstimationem concipere; quàm qui de hac nihil sollicitus solam cognitionem pro fine studii sui habet. Similiter atque eadem conclusio, meliùs quandoque percipitur à minùs gnaro propositionum, unde emanat, quàm altero, qui has probè intelligens parùm attentè de illa cogitet. Atqui talis est differentia inter speculationem hinc curiosi, inde pii hominis. Fac, amabo, divinis perfectionibus considerandis vacent: prior idaget, ut DEUM purè cognoscat; alter, ut cognoscendo ad illius æstimationem, amoremque proficiat. Non itaque mirum est, si hic, quamvis confusè admodum, obscureque intelligat, quoniam DEUS pacto per se existat, sitque ens necessarium, æternum, infinitum, immutabile, immensum; ex obscurata tamen illa notitia altissimam illius venerationem concipiat; alter contrà, etsi clariorè, ac distinctam magis divinarum perfe-

Q q q 2

eti-

ctionum speciem mente hauserit, in sola nihilominus, sterilique veri cognitione subsistat, nullam inde eruens, nisi sui ipsius, suæque æstimationem scientiæ: profanorum antiquitatis sapientum similis, quos D. Paulus testatur, naturali sua Theologia ad merum vanitatis pabulum, & fomentum abusus fuisse: (*Ad Rom. 1.*) *Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Quinimò adeò id minimè insolens, sed consentaneum veritati, naturæque est, ut artis oratoriarum magistri vetent, ubi affectus ciendi sunt, argumentis subtilioribus uti, quamvis ea ceteroqui ad penitiorum propositæ rei cognitionem conducant. Quia, licet ex distinctiore veri notitia vehementior sequi plerumque soleat animi motus; nihilominus, si ratio verum comprobans abstrusior suapte naturâ sit, & multum attentionis, ut percipiatur, requirat; usque adeò totum animum, partim conatu eam percipiendi, partim ejusdem perceptæ gustu, & dulcedine occupat, ut vix ullum ei spatium transeundi ad affectus relinquat: quibus proinde impedimento potius, quàm usui est illa veri clarior perceptio. Quidnam igitur obest pio Ascetæ DEUM.

con.

contemplanti, quòd Theologicarum subtili-
tatum sit rudis? Profunt hæ, fateor, ad clari-
orem, sed non æquè ei semper ad fructuosio-
rem DEI scientiam. Imò compluries men-
tis intentionem nimium occupando, & curio-
sitate, atque arrogantiam fovendo, id effi-
ciunt; ut quantò suum illa supremum obje-
ctum plenius cognoscit; tantò sit minùs ad il-
lud æstimandum, colendum, atque amandum
idonea. Denique, ceu lux minor plus colo-
ris producere potest in corpore, ad illius pro-
ductionem melius parato; sic minùs clara ob-
jecti cognitio ampliorem, & vividam magis
progignere illius æstimationem potest in ho-
minis animo, qui, quòd hanc sibi pro unico
intelligendi fine proposuerit, assidueque ideo
spectet, ac quærat, eidem concipiendæ est ha-
bilior. Quare D. Thomas necessariam qui-
dem esse ad amandum cognitionem docet;
(1. 2. qu. 27. a. 2. ad 3.) sed non ita, ut per-
fectè amari nequeat, etiam quod imperfectè
cognoscitur. Idemque Hugo etiam à S. Vi-
ctore his verbis docuerat. *Dilectio superemi-
net scientiæ, & major est intelligentiâ. Plus enim
diligitur, quàm intelligitur: & dilectio intrat, ubi
scientia foris stat.* (In c. 7. Dion. de cæl. Hier.)

6. Adde huc alteram ejusdem effectûs rationem, auxiliarem nimirum DEI gratiam: quam fatendum certè est, habere aliquid virium ad naturalem, humanamque habitudinem, ubi desit, supplendam: ut proinde mirum esse nequeat, si ipsa aspirante efficacius animum moveat etiam rudis, & confusa divinæ excellentiæ cognitio, quàm sinè illius adjutorio explanatio alia, & sublimior. Si *queris, quomodo hæc fiant*; (possum cum Doctore Seraphico effari) *interroga gratiam, non doctrinam: desiderium, non intellectum: gemitum orationis, non studium lectionis: sponsum, non magistrum: DEUM, non hominem: caliginem, non claritatem: non lucem, sed ignem, totaliter inflammantem, & in DEUM excessivis unktionibus, & ardentissimis affectionibus transferentem.* (Itin. Ment. c. 7.)

7. Adde insuper, ad fructuosam cognitionem veritatum practicarum, quas Aristoteles, (L. 7. Eth. c. 3.) *actionum Dominas* vocat, plus quàm intellectûs acumen, voluntatis puritatem conducere: cùm nemini obscurum sit, quantam animi perturbationes ad nostræ mentis judicia sibi accommodanda vim habeant: ut certè propterea idem Philosophus in hoc præcipuè affectuum naturam constituerit definiens: (L. 2. Rhet. c. 1.) *Affectus esse id, quo*

com-

commoti homines differenter judicant. Qui alio etiam loco hinc fieri, ait, (L. 1. Eth. c. 1. & L. 7. c. 3.) ut juvenes ad morales disciplinas minus facti sint, utpote: *singula ex perturbatione persequentes.* Talibus enim, *perinde atque incontinentibus cognitionem evadere inutilem,* quatenus est cognitio languida, iners, semimortua, & qualis esse somniantium solet. Jam verò, quòd DEUS creatis omnibus infinitè antecellat, iisque omnibus in æstimatione, atque amore mereatur præponi, nequaquam veritas purè contemplativa est, sed practica, quæque in vita spirituali universa principis locum regulæ obtineat. Quapropter, qui animo, à pravis affectionibus perpurgato, nec aliâ, quàm spiritualis profectûs sui gratiâ eam sibi considerandam suscipit; esto peculiare alias DEI prærogativas, unde illa eruitur, credat potiùs, quàm distinctè intelligat; potest eam nihilominus sub illustriori specie concipere, mentique altiùs imprimere, quàm alius quispiam eximius Theologus, sed à vitiis minus integer: cui nemo non videt, quantum impeditenti perversæ cupiditates suæ afferant, nè exaggeratam, & vividam DEI æstimationem ex quantacunque illius scientia hauriat, nève illum præsentem assiduè habeat sub

practica illa imagine boni, cætera omnia infinitè excedentis, dignissimique, qui præiis omnibus in pretio habeatur, & ametur. *Talis enim* (ut Philosophi verbis concludam) *univ-
cuique finis apparet, qualis quisque est; propterea
quòd distorquet pravitas, facitque, ut circa princi-
pia activa fallamur.* (L. 3. Eth. c. 5. & L. 6. c. 12.)
Multi erant, qui conferti olim circa Christum Dominum non modò illum tangerent, sed etiam penè opprimerent. Et tamen neminem eorum omnium ipse advertere est visus, præter piam fæminam, quæ ad extremam solummodo vestimenti sui oram manum porrexerat, dicens de illa: *Quis me tetigit?* (Luc. c. 8.) Multum quippe intercedebat discriminis inter aliorum, & ipsius tactum, illum tumultuarium, & sinè ullo effectu, hunc ceu fidei, & reverentiæ plenum, sic voti, & fructus sui compòtem. Quare adstantium nonnullis, qui prædictæ ejus interrogationi admirantes responderant: *Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt; & dicis, quis me tetigit?* subjecit rationem prioris dicti sui reddens: *Tetigit me aliquis. Nam ego novi virtutem de me exisse.* Haud dissimili ratione quàm plurimi ad DEUM undique accedunt, & turmatim quodammodo circa eum conglobantur, per-

cepturi aliquid de arcanæ illius naturæ mysteriis : sed veluti non omnium est, qua oportet, recta, & humili mente id agere ; sic neque omnium fructuosa, & efficaci cognitione illum tangere. Et nos quidem hæc, aut illa insignium Theologorum monumenta evolventes, hos demum arbitramur eum revera attingisse : at cælestis Magister, certius rem perspicuens, eorum fortè aliquos non nisi turbarum locò habet, quæ profana curiositate se affligat, & comprimat. Cùm è contrario, si rudis muliercula, vel laicus cœnobita pio spiritualis profectûs studio se contemplantur, quemadmodum his divini sui luminis virtutem infundit, sic ab iisdem profitetur se intimè agnosci, & utiliter tangi. *Tetigit me aliquis. Nam ego novi, virtutem de me exisse.*

8. Studeamus ergo, qua par est diligentia, vitiosis rerum terrenarum cupiditatibus animum expurgare : tum, implorata confidenter DEI ope, nullam omnino naturalis nostræ habitudinis, qualiscunque, parva, an magna illa sit, rationem ducentes, contemplari aggrediamur jam peculiarem aliquam ex altissimis DEI perfectionibus, jam ipsam universè infinitam, incomprehensibilémque essentiam : certi procul dubio eventurum, ut si

minùs perspicuam, & distinctam assecuti fuerimus tam sublimis objecti scientiam; non tamen à præcipuo nostri studii, & laboris fine excidamus. Saltèm quippe DEI speciem animo concipiemus, tanquam entis præter omnem modum eximii, immensò perfectionis intervallò quævis alia excedentis, dignissimique, ut, quidquid est hominum, illius se amori, & obsequio devoteat. Qua in specie quemadmodum præcipuè fructuosa DEI cognitio consistit, sic absque illa Theologicarum omnis speculationum altitudo exigui est ad vitam spiritualem momenti: quantoque ipsa vividior fuerit, tantò uberiores fructus afferet cuilibet sive docto, sive idiotæ, qui eam penitus consignatam in mente habeat. Quòd si nihilominus pergat quispiam obtendere, parùm habilitatis sibi esse ad Deum in se ipso, inque altissimis perfectionibus suis contemplandum, adeò ut nullam, hoc considerationis genere utens, saltèm confusam, & universalem illius notitiam assecuturus videatur; quamvis ità sentiens pusilli nimium animi, nec justâ divinæ opis fiduciâ subnixi se prodat; nolo tamen cum eo ulterius contendere: satis habens, si priori saltèm insistat, quam initio proposui, DEUM confi-

de-

derandi in externis suis operibus, viæ, éque visibili horum artificio, elegantiæ, & decore infinitæ illius sapientiæ, potentæ, & pulchritudinis argumenta desumat. Si enim in hoc considerationis genere mentem sedulò exerceat, promptum illi erit, brevi temporis spatio perquam claram, & uberem DEI notitiam nancisci: ceu exemplo esse potest ea ratio, qua Christus Dominus ad cæcos illuminandos plerumque usus est. Nam licèt eorum alicui non alio, quàm divinæ suæ vocis instrumento visum restituerit, ut Bartimæo illi, (*Marc. 10.*) secus Jerichuntinam viam mendicanti; plerosque tamen, ut quatuor illos apud D. Matthæum, (*9. & 20.*) & alterum, cujus meminit D. Marcus, (*6. 8.*) manûs tactu à cæcitate liberavit. In quo divinæ manûs tactu, creatarum à DEO rerum consideratio intelligi potest: ità ut has ob mentis oculos sibi ponere perinde quodammodo sit, atque DEI manibus tangi, & à salutari illo tactu videndi facultatem, nempe ipsius cognitionem recipere. Neque enim novum tropi genus est, fabri manus, opera illius manibus confecta appellari: quemadmodum & apertè declarat Virgilianus ille versus: *Artificumque manus inter se, operumque labores miratur; &*
in-

innuere etiam videtur illa unius ex Jobi amicis locutio, (c. 36.) *Abscondit in manibus lucem.* Ubi sub nomine lucis in manibus DEI abditæ possumus juxta mysticum sensum accipere, quam supremus mundi effector in rebus à se procreatis clariorem sui notitiam reposit, quàmque unicuique nostrum fas est per sedulam considerationem ibi invenire.

9. Superest demum, ut, postquam alterutro prædictarum considerationum genere sublimem, ac splendidam infinitæ DEI magnitudinis, atque amabilitatis imaginem nostra in mente effinxerimus, curemus simili studio, nè illa per desidiam paulatim obsolescat, sed integra, ac vicens perduret, imò & ad novam, ulteriorémque perfectionem proficiat. Quam in rem non parvo tibi erunt usui tria hæc, quæ subjicio, præsidia. Primum, ut matutinam meditationem semper inchoës à DEO per horæ circiter quadrantem contemplando, sive secundum illius omnipotentiam, immensitatem, supremum in res omnes creatas dominium, & reliqua id genus decora, quæ considerari, citra summam reverentiam, & admirationem nequeunt; sive secundum alias memoratu suaviores, quæque ad amorem excitandum potius faciunt, prærogativas, ve-
lu-

luti pulchritudinem, benignitatem, clementiam: ita tamen, ut, undecunque illum respexeris, mentis obtutus adjunctos sibi habeat affectus materię consentaneos, venerationis nimirum, & obsequii, vel lætitię, atque amoris. Secundum, ut inter actiones diurnas hos eosdem affectus paucis, sed ex imò corde erumpentibus verbis quàm sæpissime iteres. Eorum verò formulę exempli gratiã esse hujusmodi poterunt: O infinitum! ô summum! ô totum esse! Quàm magnus es, quàm omnia supergrediens, quàm infinite adorabilis, & amabilis Dominus? O maxime! ô pulcherrime! ô perfectissime omnium! quando erit, ut super omnia te diligam? O DEUS! totum meum bonum, totus cordis mei amor. O principium, & finis rerum omnium! à te, & tibi unus sum factus, nec alii vivere unquam volo, quàm tibi. Nisi fortè usurpare magis placeat certa quædam ex facris Literis dicta, quę singularem DEI excellentiam repræsentant, aut pios erga illum cordis motus exprimunt: quale illud est sponsę in Canticis, (c. 2.) *Dilectus meus mihi, & ego illi:* sive illud, quo sanctissima DEI Parens exorsa est suum celebrem Hymnum: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in*
DEO

DEO *salutari meo*: sive illi ex Psalmis Davidicis versus, (Ps. 17. 34. 102.) *Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus!* sive alia ejusdem generis sensa, quæ poteris tibi ad hunc usum seligere. Tertium, ut in quovis sermone, & cum quovis hominum genere, vel unicè, vel præcipuè loquaris de DEO: de infinita nimirum supremæ illius naturæ excellentia, de illius incomparabili merito, ut ab omnibus obsequentissimè, & summo cum amore ei serviatur: de felicitate animarum, quæ intimæ necessitudinis nexu cum eo copulantur: de liquidissima voluptate, quæ ex puro illius amore percipitur: de incredibile hominum perversitate, in eo summo, immensóque bono, vilissimis bonorum quisquiliis posthabendo: de singulari, ardentissimáque charitate, qua hi, vel illi sanctorum Virorum, totos sese illi addixere: de beatissima eorum sorte, qui in cælesti patria eum palàm intueri, eoque penitè frui meruerunt. Quæ argumenta, seriò identidem tractata, quivis facillè agnoscit, quanti sint momenti ad conservandos, altiúsque infigendos

in

in animo sensus pridem conceptos æstimationis, amorisque erga DEUM. Velit ille utinam summus lumium Pater, omniumque largitor bonorum imbecillis nostris conatibus necessarium robur afflare: ut, quæ hæcenus nobis affulserunt, divinæ suæ scientiæ crepuscula, ex præsentis, sub dubio, & quasi nocturno nitore, per assidua uberioris claritatis incrementa, ad meridianum cælestis gloriæ lumen perveniant: quo demum plenè illustrati, non ultra per speculum, & in ænigmate, sed qualis in se ipsa est, incomprehensibilem illius essentiam spectabimus,
Amen.

Regi seculorum, immortalis, invisibili, soli DEO honor, & gloria in secula seculorum. (1. ad Tim. 1.)

FINIS.



